



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

II. De exequiis episcoporum decedentium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## RVBRICA II.

Quia, secundum Apostolum, qui bene præsunt <sup>1. Tim. 5.</sup> presbyteri, duplice honore habendi sunt digni, in vita scilicet & in morte. Statuimus & firmamus, quod quando contigerit aliquem comprouincialium episcoporum, præsentium vel futurorum de hac luce, Deo vocante, migrare, induatur pontificalibus, & cum eisdem solennibus exequiis præcedentibus, cum solenni Missa pro defuncto sepeliatur, & quam citius fieri poterit, ceteris comprouincialibus episcopis ipsius obitus intimetur per capitulum ipsius ecclesiæ cathedralis, ut orent pro episcopo defuncto. Et quilibet coepiscoporum dici faciat triginta continuas Missas a die notificationis obitus ipsius usque ad trigesimum diem; & refici qualibet die tres pauperes: & in qualibet ecclesia cathedrali & conuentuali una Missa pro ipsius animæ expiacione celebretur solenniter.

## RVBRICA III.

Quia inter cetera remedia, quæ proficiunt ad expiacionem animarum fidelium defunctorum, sunt orationes & eleemosynæ: & illis maxime in his teneamur obnoxii, a quibus nos recognoscimus verbi & operis beneficia recepisse; in quorum numero prædecessores nostri merito possint adscribi, statuimus, & perpetua stabilitate firmanus, quod de cetero semel in anno, vigilia festi sanctæ Praxedis, quod est vigesimo Iulii, in tota

Concil. Tom. 28.

Eeeee